

Cum enim propter admirabilem animæ cum numeris cognationem numerosa facilius arripiantur, seruit illa sic propagationi doctrinæ, includens dulcissimos Psalmos & alias religionis nostræ partes, numeris, & addens harmoniã convenientem, quò altius illæ animos hominum penetrent, & tenacius infigantur. Hinc existimo factum, ut sancti patres semper sacris ritibus adhibuerint Musicã, & Prophetæ oracula diuinitus tradita, cantu, & numeris compræhenderint, sicut hoc multi dulcissimi psalmi testantur, quos diuinus ille Musicus David Cythara lusit. Non enim memoria tantum iuuatur Musica, sed eius præcipua quædam, & admirabilis uis est in ciendis affectibus, ut animi hominum tranquilli redditi, tantum consideratione eius rei occupentur, quam musica proponit.

Et quantum alioquin hæc ars ualeat, ad mouendos animos hominũ, ante oculos inter ceteros manus est. Fingitur Orpheus cæcus suauitate traxisse arbores & saxa, quo figmento quid aliud uoluerunt significare homines sapientes, quàm animos barbaros & agrestes reddi Musica mansuetiores, & humaniores; & tristes & curis occupatos, tranquillos & hilares.

Sic fortissimus ille Græcorum Achilles dicitur cantu Cytharæ lenisse ægritudinem animi, quam acceperat ex consideratione leuitatis, & stoliditatis Agamemnonis eripientis ipsi suam Bryseida. In sacris literis etiam malus spiritus dicitur recessisse à Saule, quotiescunq; David Cythara lusit.

Et in uniuersum Musica honestum quoddam *δελκτύριον* est, quo animi segnes, tristes & prostrati, animentur quasi, reficiantur, & attollantur, & rursus exultantes conueniente harmonia reuocentur & retineantur intra septa iustæ moderationis, aut etiam ad dolorem & commiserationem quandam flectantur.

Cum